



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum III. Ratio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

Ecclesiastica consanguinitatis jure sibi vindicare, aut postulare debet.

SUMMARIUM.

1. In bonis, seu juribus Præbendæ Ecclesiasticæ, non succeditur jure consanguinitatis.
2. Quam successionem, sive vi consanguinitatis, sive vi ultimæ voluntatis, adeo detestantur SS. Canonès, ut quidquid speciem talis successionis habet, horreant.

NOtandum. In bonis, seu juribus præbendæ Ecclesiasticæ non succeditur jure consanguinitatis. Ratio est, quia bona Ecclesiastica sunt Deo oblata à fidelibus pro victu, & sustentatione ministrorum Ecclesiasticæ secundum dispositionem, & ordinationem Prælatorum Ecclesiæ. Ex quo sequitur primò, quòd Clerici jus præbendæ non à defuncto per successionem, sed ab Ecclesiâ, seu Prælato Ecclesiæ, per canonicam collationem, seu institutionem habeant. Secundò, quòd Clerico jus præbendæ conferri non possit ultra tempus vitæ suæ, quia beneficium dari debet propter officium seu ministerium Ecclesiæ, tale autem officium extinguitur per mortem. Tertio, licet jus præbendæ pertineat ad beneficiarium, quasi usufructuarium, principaliter tamen & radicaliter pertinet ad Ecclesiâ, ad quam etiam remoto beneficiario, præbenda devolvitur *c. relatum 12. de testamentis.*

Addendum. Quòd SS. Canonès adeo prohibent in beneficijs Ecclesiasticis, tum consanguinitatis, tum ultimæ voluntatis successionem, ut etiam ab omni eo, quod vel speciem ac similitudinem talis successionis præferre possit, abhorreant: quam ob rem caveatur, ne filius etiam legitime natus in eodem beneficio patri immediate substituat *c. veniens 5. c. ex transmissa 7. de filijs presbyterorum.* Et ne pactum, vel promissio alicui fieri possit de succedendo alteri in beneficio post mortem ejus *c. 2. de concessione præbendæ.* Ne-

que possit alicui conferri beneficium ea conditione, ut post ipsius mortem succedat alius v. g. consanguineus *c. accepimus 5. de pactis.* Item quòd vivente Prælato, a liòve beneficiario non possit de successore eligendo tractatus fieri, licet vita ejus desperata sit. *c. bona 36. de electione & c. nullus 7. distinct. 79.* Et quòd neque Papa, ne dum alius Prælatus, aut beneficiarius, successorem sibi deligere possit, uti ex communi docet *Abb. in cit. cap. accepimus n. 2.* Soler tamen quandoque Pontifex Episcopo, vel simili Prælato, Coadjutorem dare, cum succedendi potestate *c. petisti 17. causa 7. q. 1.* sed alteri inferiori Prælato, aut capitulo concessum non est, ut coadjutorem alicui det, cum succedendi potestate, cum sit regula canonica universalis, quòd beneficia, aut Prælaturæ, antequam vacent, seclusâ plenitudine potestatis papalis conferri, aut promitti non debent *cit. c. 2. de concessione præbendæ.*

CAPITULUM II.

Non liceat.

PARAPHRASIS.

Episcopus nullum Clericum ordinare potest, nisi ei alimenta, & sustentationem vitæ provideat.

NOtandum. Non licet Episcopo Clericum ordinare sine titulo sustentationis. Quòd spectato jure noviore intelligi debet de ordinatione in sacris, sicuti infra habetur *in c. 4. & c. cum secundum 16. hoc tit.* Olim verò neque minores Ordines alicui conferebantur sine titulo, juxta *c. 1. juncta Gl. V. neminem distinct. 79. & docet Gl. hic. Suarez de censuris dist. 31. s. 1. n. 31.*

CAPITULUM III.

Ratio.

PARAPHRASIS.

Gregorius I. intellexit, Episcopum Melennatem pro construendo castro publi-

co pecunias accepisse, & partem sibi retinuisse; ejus rei cognitionem Anthemio Subdiacono mandans præcipit, ut si re ita se habere comperit, ejus civitatis Comiti pecunias tradat, ut in eum finem, ad quem datae sunt, convertantur, quia nulla ratio permittit, ut proprijs cujusdam usus applicetur, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur. Ita reperitur lib. II. regist. indic. 6. epistola Gregorij 31. ad Anthemium.

SUMMARIUM.

1. Cui executio rerum donatarum, aut legatarum, ad communem utilitatem, commissa est, non potest ad propriam utilitatem, aut usum eas convertere.
 2. Neque singuli possunt de re taliter donata, vel legata, pro suo arbitratu disponere, si pluribus ea collegialis donata, vel legata sit: possunt autem, si pluribus communis, ut singulis, saltem pro parte sua, prout etiam fisco jus majus in tali re competit.
- N**otandum. Cui à jure, vel ab homine, executio rerum donatarum, aut legatarum, ad communem utilitatem commissa est, non debet eas, vel aliquid earum, ad propriam utilitatem, vel usum convertere; quam ob rem nec Episcopus alijsve Prælati ex ijs, quæ ad fabricam Ecclesiæ deputatae sunt, vel ad ministrorum sustentationem, tanquam præbendæ beneficiorum, quidpiam sibi appropriare, seu ad mensam suam derivare potest.
2. Sed quid si res pluribus communiter donata, aut legata sit, possuntne singuli eam uti, aut de ea disponere, tanquam de re sua arbitratu suo? Ad hoc bene responderet Bartol. in L. servi. §. S. labeo ff. de legatis primò, distinguendo. Si res pluribus communis est collegialiter, seu ut universitatem efficientibus, non possunt singuli eam suam dicere, aut eam uti, vel disponere arbitratu suo, juxta L. in tantum 6. §. universitatis ff. de rerum divisione, ubi dicitur,

quòd quædam sunt universitatis, non singulorum, ideòque nec servus communis civitatis singulorum pro parte esse intelligitur: sin autem pluribus communis est, ut singulis, v. g. duobus fratribus domum patris pro indiviso possidentibus, tunc singuli rem suam dicere possunt, ut docet Gl. & DD. in cir. §. labeo & L. 2. ff. de conditionibus institutionum, eaque uti, imò & alienare secundum partem juris ipsi competentis L. penult. ff. de contrahenda emptione, & expressius in L. 3. L. de communium rerum alienatione. Ubi Bald. ait, quando aliqua communia sunt pluribus, ut singulis, unusquisque pro se habet partem suam alienandam liberam facultatem; socio tamen non præjudicat, quoad partem ipsi competentem, L. 1. & 2. l. eodem. præterquam, si fiscus cum altero rem communem habeat; nam fisci hoc privilegium est, ut ratione partis sibi competentis rem totam, etiam non consentiente socio, privato vendere possit, isque partem pretij recipere cogatur, L. 2. C. eodem. & L. unica C. de venditione rerum fiscalium &c. Quod verò attinet ad alias dispositiones, quæ fieri possunt circa rem communem pluribus, ut singulis, distingui debet, num dispositio fiat ad usum necessarium, vel ad quem res destinata est; ea fieri potest etiam socio invito, ut si domum communem reficere necesse sit L. si ades 1. ff. communi dividundo. Vel si in sepulchrum commune mortuus inferendus, cit. L. in tantum §. in commune. Si verò dispositionem aliquis, mutationemque facere velit, in re communi, præter ejus naturam, & requisitum finem, tunc invito socio id fieri non potest. L. 28. ff. communi dividundo. Sabinus ait, in re communi neminem dominorum jure facere quidpiam, invito altero, posse; unde manifestum est prohibendi jus esse. Vide etiam Dinum in reg. 56. in 6. in re communi melior est conditio prohibentis.

Corollarium. Si ædes duobus dominis communiter possidentibus indivise sint, alter eorum inquilinum recipere non potest; gravatur

gravatur enim jus socij, si præter socium inhabitare, aut intrare volentem, dominij jure, etiam inquilinum tolerare debeat. Secus est, si socius inhabitare non possit, aut non velit, v. g. in locis remotis degens, tunc alter socius domum totam inhabitare potest, vel si ipsi non lubear, alteri totam locare, quamvis socio invito, ita tamen, ut is partem pensionis accipiat *secundum Gl. Marginalem in cit. L. Sabius 28.* Ratio est, quia ædes ad hoc factæ sunt, ut inhabitentur, si non à domino, tunc ab inquilino.

CAPITVLVM IV.

Episcopus.

PARAPHRASIS.

Si Episcopus Clerico sacrum Ordinem sine titulo, unde vitæ necessaria percipiat, contulerit, ipsemet ei necessariam sustentationem largiri debet, donec ipsi in aliqua Ecclesia convenientia militiæ Clericalis stipendia assignet, præterquam si ordinatus ex sua, vel paterna hæreditate, se alere possit.

SUMMARIUM.

1. Clerico, qui Ecclesia inservit, stipendium necessarium ad congruam sustentationem debetur.
2. Quamvis ex patrimonialibus vivere possit.
3. Ad cujus rei meliorem intellectum quatuor tempora distingui debent.
4. Duplex est titulus, ad quem ordinari in sacris potest Clericus: titulus beneficij, & titulus patrimonij.
5. Prior titulus propriè ita dicitur, & ad eum requiruntur plura.
6. Primò scilicet, ut sit titulus perpetuus.
7. Secundò, ut sit sufficiens, saltem unà cum patrimonio, aut alio beneficio, ad sustentationem beneficiari.
8. Tertiò, ut habeatur illius pacifica possessio.

9. Ad pensionem Ecclesiasticam ordinari quidem potest aliquis, si hæc sit perpetua & titularis, sicut etiam ad Coadjutoriam cum facultate certò succedendi.
10. Alter Titulus Patrimonij, in casu necessitatis sufficiens est, multa tamen ad hujus sufficientiam requiruntur.
11. Referuntur tres modi, qui sunt extra controversiam sufficientes.
12. Referuntur duo modi, de quibus dubitari potest, an sint sufficientes.
13. Episcopus ad sacrum Ordinem Clericum promovens, qui nullum titulum habet, aut beneficij illius, ad quod prius ordinatus est, resignationem recipiens, sustentare hunc, & de omnibus ad vitæ necessarijs ei providere debet, donec beneficium assequatur.
14. Ita ut hæc sustentandi obligatio ad successorem etiam transeat; nisi Episcopus ordinans non fuerit in culpa, aut Archidiaconus sine titulo per negligentiam ad Ordinem, ordinandum admitterit; aut dimissorias habeat ordinandus, sollicitudinem de titulo removentes.

Notandum primò. Clerico, qui Ecclesiæ inservit, seu ministrat, stipendium necessarium ad congruam sustentationem non minùs debetur ex justitia, quàm militanti in militia sæculari; & signavit Apostolus. I. ad Corinth. c. 9. *quis militat suis stipendijs unquam?* & Dominus Luca 10. *dignus est operarius mercede sua.*

Sed nunquid Clericus Ecclesiæ serviens, seu beneficiarius, qui ex patrimonialibus bonis se alere potest, ipsi in quemcunque usum servatis, honestam vitæ sustentationem ab Ecclesia, cui servit, accipere jure potest? Affirmandum est secundum consuetudinem Ecclesiæ, quæ jam viget, licet spectatis antiquioribus Canonibus, qui *causa 12. q. 1.* referuntur, aliter dicendum esset.

Pro cujus intellectu quatuor tempora distingui debent. Primum est Ecclesiæ pri-

H 3

mitivæ,